

ad S. Nicolaum, usque ad annum 1622 debuit Capitulum et Catholici hac Ecclesiâ carere, et quia per Victoriam in Albo Monte Imperatoris conditio melior evasit, sic eodem Anno 1622, die 20. Decembris rursus Chorus Catholicis restitutus est, et Lutherani prius cessâ parte contentari debuerunt.

† Annotatum est supra ad Annum 1565 pag. . . . quòd per Recessum Ecclesiae non inveniatur Ecclesia divisa, sed supponatur integra Capitulo remanere, et addictis Confessioni Augustanae tantum in ea certo tempore, sive determinatis horis Religionis exercitium indultum; quomodo verò posteriùs factum sit quòd Senatus centum Ecclesiae quantum sibi appropriare coeperit, non invenio clarum fundamentum; vidi nî fallor, aut audivi, quod Dns. Katmanus propter importunam commixtionem Lutheranorum inter Catholicos istas Crates, oder Stächeten und Gehalter ad majorem pacem procurandam proprio motu fieri decrevisset. Aut fortè hujus Divisionis certiùs fundamentum exstitit, cùm post Ecclesiae exustionem 1634 denuò de ejus tecti appositione consultatio facta fuit, ubi Capitulum extrémè depauperatum, et etiam sum sub Saxonico Dominio impotentius redditum, nec etiam Senatum aut Aedituum, juxtà dispositionem Concordiae Carolinae ad totam aedificandam resolverit. Si quis ad illam separationem meliùs fundamentum invenerit, placebit posteritati ingratè annotare.

1668. Ecclesiasticorum in Lusatia habetur aliqua informatio in actis Ecclesiae Volumine majori, quae ad Caesarem data fuit. Exemptio eorum à foro saeculari est statuta in Recessu, videlicet etiam neglecto jure Canonico. Cùm Capitulum in latino Idiomate, vel sub nomine Ecclesiasticorum, vel etiam Cleri cum Monasterijs, item et Parochis simul intelligi possint, sic hìc de utrisque locus est.

Ecclesiasticorum in Lusatia lites ad Caesarem revocantur, et acta in specie in inferiori Lusatia inter Abbatem Neo-Cellensem, et ibidem Gubernium. Litterae ad Electorem Saxoniae Anni 1702. 2. Februarij. Idem sonant Litterae.

Videatur Copiale Caesareum.